



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Jordanus Conf. 13. Feb.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

## S. JORDANUS CONF. 13. Feb.

**Q**uem nudus in cruce Christus mo-  
 vet, ille tegere hunc à JORDANE dif-  
 cat, qui cum pauperi, quando ad ma-  
 num nummi non erant, baltheum ar-  
 genteum dedisset, templum mox ingres-  
 sus exornatum eo Christum crucifixum  
 advertit. Pulchrè locatum credidit:  
 quin ut totum jam Christum tegeter,  
 omnibus se nudavit, & ad D. Do-  
 minici paupertatem nudus confugit. Su-  
 binda toti familiæ illi præfuit. Mira in  
 eo adolescentum animos ab humanis  
 avellendi, & thrahendi ad æterna ars &  
 dexteritas. Eloquentiâ sua quocumque  
 voluit totam concionem impellere no-  
 vit, multum eam ob rem ab orco infe-  
 status. Intereâ tamen Cælites, & ex his  
 præcipuè Cælitum REGINA favebant  
 JORDANI. Quare ad hunc sceleribus op-  
 pressos velut ad doctissimum medicum  
 non semel ipsa misit. Visa est deinde in-  
 ter maximum Divorum comitatum, sub  
 preces divinas, è manu JORDANIS li-  
 brum accipere: aliàs cubicula dormien-  
 tium alumnorum lustrare, quin ipse Di-  
 vus, festo, quo Lustratam VIRGINEM  
 colimus, die, vidit hanc è summâ arâ,  
 ad illa cantantium verba (*Gloria Patri,*  
 &c.) prehensâ filioli manu omnibus be-  
 nedicere. Poterat hoc credo ad cantum

H

Ange-

114 VITÆ SANCTORUM. 14. Feb.  
Angelos provocare. Cæterum dum Ter-  
ram sanctam petit JORDANUS, naufragus  
in medio mari portum reperit, appul-  
susque ad beatiorum est Solymam. Ex  
Surio.

*Debemus surgentes gratias Christo agere  
& omne diei opus in signo facere Salvato-  
ris, Nam in uno signo Christi omnium re-  
rum est tuta prosperitas: Qui in hoc signo  
seminare cœperit; vita fructum consequetur  
æterna, S. Max. de carn. host. non  
timend.*

S. AUXENTIUS ABB. 14. Feb.

AUXENTIUS, cùm eodem in con-  
tubernio non convenire Marti & vi-  
tæ innocentia perspiceret, ut DEO vaca-  
ret, vacationem à militiâ sibi impetravit.  
Neque arma tantum posuit, sed ut mise-  
rum contra frigus armaret, tunicam ex  
mendicabuli humeris suspendit. Aliàs  
quò pauperibus stipendia numeraret,  
operam suam inter opifices locavit.  
Oream deinde montem conscendit, at-  
que iterum, sed melior miles sub pellibus  
vixit, omni aliâ veste abjectâ. His hor-  
ridum pueri Pastores, cùm gregem a-  
missum quærent, feram putarunt. Sed  
ille, quâ erat in juventutem humanita-  
te, facilè se hominem probavit, imò  
homine majorem ostendit, cùm vates  
pueris absens edixit, quò greges aber-  
ras-